

1610

*Senatus  
responsu.*

men non ejusmodi erant, ut Patres ab eorum temperatis consiliis, atque ab amicitia, quam cum Regibus semper excoluerant, dimovere possent. Cum igitur in neutram partem propendere e republica arbitrarentur, ita Henrico Senatus consulto respondendum censuere: *Ingentes ei a Republica gratias haberi, quod penitiora illius consilia sibi aperuisset; quod de exornanda atque augenda Republica adeo se sollicitum esse significaret; illius singularem prudentiam atque animi magnitudinem paribus laudibus efferre atque assequi non posse: verumtamen Reipublicæ, quæ per tot annos alta pace potita sit, providendum esse, ut in Italia quies tranquillitasque servetur: omnia demum felicia ac prospera Regi exoptare; ac si quid in Condæi Principis negotio agere Senatus possit, id ultro offerre.* Henricus, paucis ad priorem Senatus consulti partem adjectis, respondit, quippe qui parum suis consiliis Senatus decretum respondere animadverteret: de altera summas Patribus gratias egit.

*Sabaudia  
Ducis cum  
Henrico  
Rego con-  
junctio &  
paœta.*

Interea Allobrox, diu multumque rationibus subductis, tandem se Henrico adjunxit, atque Gallicas partes sequi decrevit. Majoris natu Regis filiæ cum Victorio Principe trecentorum aureorum millium dote connubium pactum; quinquaginta millia sponso; triginta Mauritio Cardinali; viginti Thomæ, tertio Ducis filio, annuæ pensionis nomine promissa. Hæc licet jam erumperent, studiose adhuc silentio premebantur; donec, firmioribus radicibus subnixo fœdere, aliora consilia concoquerentur. Quod ut quam primum fieret, postulatis initio cunctis fere a Bolæ Augustæ Taurinorum, ac Trolæonio Caroli a secretis Lutetiæ discussis, colloquium, quo omnia stabilirentur, haberi placuit. Brusolum, haud longe Taurino oppidum, ad id lectum; eo in conventu, ut nuptiæ inter filiam Henrici natu majorem ac Sabaudiæ Principem statim promulgarentur, decretum. Belli gerendi ratio constituta, ut eodem tempore Henricus in Menapios, Allobrox in Insubres impetum faceret, præpotentibus Gallorum atque Helvetiorum copiis, quæ triginta circiter millia numero æquabant. Inter foederatos Angliæ Rex, Batavi, ac Germaniæ Principes adnumerabantur; qui nuper Halæ Suevorum, ad Germaniæ libertatem tuendam, societate inita, Henricum illius

*Sabaudia  
Dux cum  
Gallis Bru-  
soli conve-  
nit.**Henricus  
Rex, foederis  
principes in  
Halæ con-  
ventu re-  
nuntiatur.*